

deni: Cibum tibi negas, non juniorum studio, sed doloris. Non amo frugalitatem istam. Jejunia ista adversarii mei sunt. Nullam animam recipio, quae me nolente separatur à corpore. Tales stulta philologia habeat martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum, & Catonem. Si viventem crederes fratrem, nunquam plangeres ad meliora migrasse. Nam sicut præter hanc vitam, est vita alia beatorum: ita præter hanc mortem, est mors alia impiorum.

Adversum mortis ergo duritiam & crudelissimam necessitatem: hoc solatio erigimur, quod in brevi visuri sumus eos quos dolemus absentes: neque enim mors, sed dormitio & somnus appellatur. Nos dolendi magis, qui quotidie stamus in prælio, & peccatorum vitis fordiamur, & accipimus vulnera. Absit tamen à fide nostra ut aliquam plagam dicam esse quæ non habeat consolationem, cum Propheta proclamet: Numquid medicus non est in Galaad: Deus enim permisit te istius sæculi fluctibus ventique jactari: ut expertus naufragium, de cætero similiter periclitari caveas. Ita cuncta quæ passus es, sicut intelligis vulnera corporis tui: sic animæ remedia sunt. Brevis enim vitæ spatium, æterna memoria compensat.

*De tribulationibus & opprobriis perferendis.*

**O**PORTET nos per multas tribulationes introire in regnum cælorum. Beati estis cum vos maledixerint homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum adversum vos: gaudete ergo & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis. Futuræ vitæ gloria, præsentis vitæ incommodis comparatur: præcipue quia non qui patitur, sed qui facit injuriam, miser est. Unde & Chribianis vexilla crucis sunt deliciae: trophaea nostræ vitæ non pompis, sed miseris reportantur. In nostra classe viri fortes opprobria sciunt portare, non munera. Nam Christi vincula voluntaria sunt, & vertuntur in amplexus.

Si quis autem corpore imbecillis est: si absit sapientia, non adversarii certamina vincit: maxime quoniam liberi arbitrii sumus: sed ipsum Dei nutritur auxilio. Paupertati, non nobilitati futurorum beatitudo promittitur. Retrahit quidem verecundia fenatorem, ne sequatur pauperem Christum: sed audiat à Christo: Qui me confessus fuerit & mea verba in generatione hac adultera & peccatrice: & filius hominis confitebitur eum in gloria patris sui, cum angelis sanctis. Turpe est inter parentes fenatores pro Christo voluntaria humilitate esse dejectum. Displicet amicis, si post ambitiosi habitus cultum plebeia & ignobilia vestimenta mutantur. Sed si hominibus placerem, Christi servus non essem, inquit Apostolus: & Propheta in psalmo: Quoniam Deus dissipat ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Quantum bona & humana offensio, per quam invenitur servitus Christi: tantum perniciofa est amicitia, quæ Dei præstat offensam: sicut scriptum est: Qui voluerit amicus fieri hujus mundi, inimicus Dei constituetur.

Dicat unusquisque quod velit: ego interim de me pro sensu mei parvitate judicavi: melius esse confundi coram peccatoribus super terram, quam coram angelis sanctis in cælo: vel ubicumque iudicium suum voluerit demonstrare. Unde Isaias vir sua gente nobilissimus, qui socer regis Ezechie fuisse refertur: iussu Dei deposito cilicio nudus incedit: nec tam ardui præcepti pudore deteritus est: quo minus Dei imperium sequeretur: quia nihil honestius esse homini, quam suo creatori parere iudicabat. Joannes quoque Baptista nobilis & in carne & in spiritu natus: cilicium à pueritia, in habitum elegit, & locustas in cibum: qui nec peccati conscientia, nec paupertatis inopia, ad hujus gloriam oneris, sed sola futuri sæculi beatitudine traheretur. Unde & Apostoli stulti & inutilis & tenuis fidei arguuntur.

Inde Paulum Apostolum proferam: quem quoties lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua, qui oculo mentis futura contemplant, dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio, an angustia? an persecutio? an fames, an nuditas? an periculum? an gladius? Illos pericula non separant, nos vero voluptates. Illi catenas bajulant innocentes: nos aurum circumferimus criminosi. Illi in carceribus vinciti, nos in tricliniis delicati. Illi in nervo positi, Deum puro corde & sincera cogitatione laudantes: nos forte in ipsa

Ecclesia de forensibus calumniis cogitamus. Et cum omnibus æqualiter legis data sit gratia, gehenna seu regula promissa sint, alii de divitiis, alii de virtutibus meditantur. Cumque dictum sit generaliter omnibus: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: aliis innocentia, misericordia, castitate, jejunii Deo fideliter & sine fine servantibus, nos nobis adulteros eligimus, quibus fervire volumus. Siquidem juxta Evangelii sententiam: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Re vera si amator pecunie sum, si gloriæ, si superbiæ, si ambitionis, aut pompæ: dum illi omne studium meæ voluntatis impendo, Domino servire non possum: Quia duobus Dominis neminem servire posse, scriptum est. Non estis vestri, dicit Apostolus: Empti estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro.

Clementer Spiritus sanctus jure nostro nos convenit: sciens hoc in usu publico apud omnes homines custodiri: ut tanto servus in opere Domini esset cautior, quanto majori pretio esset comparatus: ut intelligamus quam strenui esse debeant in opere Domini, qui redempti sunt sanguine Christi: vel quam criminosi debeant judicari, qui cum sciant pro pretio suæ salutis Christi sanguinem esse datum, alteri qui nihil præstitit, magis præbeant servitutem. Rogo quo pudore obsequi aut laboris sui mercedem sperabit à cælo: cujus fuerit sollicitudo omnis in terra? Mercenarius sæculi non potest accipere Christi mercedem. Omnis miles in castris non potest accipere annonam, qui fortiter in prælio pro civibus laboraverit. Et dignus est quidem mercenarius mercede sua. Nemo tamen militans Deo, implicat fe negotiis secularibus, ut placeat ei cui fe probavit, est Apostoli vox.

Amplèctenda est igitur tristitia quæ gaudium parit: nec ejus consideranda materia: quia sæpe per dulcedinem fructus placent, quorum amarum horruit in radice: & qui literarum scientiam habere desiderat, si discendi non susceperit tædia, peritiæ gaudia adipisci non poterit: nec cujusquam eruditionis quisquam habere sufficit gloriam, nisi æstus fuerit ante perpeffus. Cumque nos Dei auxilio destitutos, hostis invaserit, duxeritque captivos: non desperemus salutem: sed iterum armemur ad prælium. Potest fieri ut vincamus, ubi victi sumus: & in eodem loco triumphemus, ubi fuimus aliquando captivi. Nam si juvat Dominus miseros, habemus salutem. Si despiciat peccatores, habemus sepulchrum.

Multo gravior expectata mors, quam illata. Ad hoc enim laboremus & in sæculi periclitemur militia: ut in futuro sæculo coronemur. Nec mirum hoc de hominibus credere, cum Dominus ipse tentatus sit. Et de Abraham scriptura testatur, quod Deus tentaverit eum. Quam ob causam Apostolus loquitur: Gaudentes in tribulatione, & scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia probationem: probatio spes: spes autem non confundit. Scriptum est etiam: Quia propter te mortificamur tota die: & æltimati sumus ut oves occisionis. Sed magna miseræ consolatio est, quando in tormentis quis positus, scit prospera securura.

*De timore ultimi iudicii, & defectu hujus vite.*

**I**NDE satis timeo: ne in illa tribulationis die, quando ante tribunal Christi unicuique secundum sua facta reddendum est: his qui in terrenis magis negotiis quam in cælestibus laborarunt, iusti iudicii responsione dicatur: Ite si potestis: & illic ubi tota devotione servivitis, mercedem exigit. Talis causa virginum est in Evangelio quinque stultarum: quæ dum sollicitudine secularium vanitatum se contra professionis suæ ordinem occuparent: oleum unde verum lumen accenderent non habentes, in tenebris remanserunt. Ecce enim si umbrato repente cælo, solis claritas nostris aspectibus denegetur: & producta in nostram humilitatem pluvie terris immineant: si commotis, ut assolent, elementis, ut in rotam sui cursus tonitrua concitentur: & dehinc fulgurum jacula palpebris terribiliter objecta coruscant: quamquam & consuetudine ista contingant, pavemus, contremiscimus, & proni ad terram deposita superbia cervicibus submittimus.

Quid faciemus in illa die miseri: quando revoluto cælo cum angelicis virtutibus igneus Dominus totus adveniet? Quando cadentibus desuper stellis, sol in tenebras, & in sanguinem luna mutabitur: Quando montes sicut cera liquefcent? Quando terra ardebit, & arefcent flumina: & maria

ficabuntur contra rerum naturam: infumpeo divinitus humore, ariditatem in aquis ignis operabitur? Quando peccatores dicent montibus, cadite super nos: & collibus, tegite nos? Quando vocabunt homines mortem, & vocata non veniet? Quando discrimina vertentur in vota, & quod semper oderunt homines, concupiscunt? Quando illud implebitur tempus, quod lugubri Jeremias dicit affectu, dicens: Respexi in terram, & ecce non erant luminaria: Vidi montes, & ecce erant tremantes, & universos colles turbati: intendi aërem, & ecce non erat homo: & omnes volucres cæli pavebant. Vidi, & ecce Carmelus desertus: & omnes civitates succense igni à facie Domini, & à facie iræ indignationis ejus, & interierunt univerfa.

Verum ne ex suggestionem diaboli hæc ad terrorem dicta non ad veritatem credantur: de præteritis futura probantur: quando talia in diluvio, in Sodomis, in Ægypto, in Hierosolymis, sæpe ob delicta hominum facta referuntur. Sed veniet illa dies, qua corruptivum hoc & mortale, incorruptivum induet & immortalitatem. Tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populis: & tu gaudebis. Judicaturus Dominus, lugubre mundus immuetur: tribus ad tribus ferient peccatores. Potentissimi quondam reges nudo pectore palpitabunt. Exhibebitur tunc cum prole sua Venus. Tunc ignitus Jupiter adducetur: & cum suis stultus Plato discipulis: Aristoteli argumenta non proderunt: tunc rusticanus & pauper exultabis & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus: ecce iudex, qui involutus pannis in præsepio vagiit. Hic est ille operarii & quæstuarie filius: hic qui matris gestatus sinu, hominem Deus fugit in Ægyptum: hic est vestitus cocco: hic qui sentibus coronatus. Cerne manus Judæ: quas fixeras, cerne latus Romane, quod foderas. Videte corpus an idem sit quod dicebatis clam nocte tulisse discipulos.

Quot virgines & quantorum infamata pudicitia à Deo iudice coronabitur. O quantis in illa die expedisset, si membrorum sensu & viscerum vigore in hac vita caruissent: & quanti illic elingues & muti feliciores loquacibus erunt: & quanti pastores philosphis: quanti rustici oratoribus, & quanti hebetes argumentis præferendi sunt Ciceronis. Ibi enim cum ante tribunal Christi venerimus: scimus nec Job, nec Danielem, nec Noë rogare posse pro quoquam: sed unumquemque portare onus suum.

Igitur sive leges, sive dormies, sive scribes, sive vigilabis, Amos tibi semper buccina in auribus sonet: & Apostoli qui hunc horrendum diem impiis & peccatoribus prævidere meruerunt, humiles erant, mortuos suscitantes: & nos super omnes erigimur: qui peccando quotidie nosmetipsos occidimus: non respicientes flebilem infirmamque naturam: quæ in adversis fortis: & nec in prosperis aliquando secura. Si enim intemperatè cibis sumptus, aut immoderatè potus acceptus, levem corpori febricitantiam concitaverit: deiecit animam, affligimur, suspiramus. Nulla cura tunc seculi est: nulla villarum: nemo de patrimonio cogitat, nemo de foro. Omnes calumnie, omnia luera in periculo corporis conquiescunt. Curritur ad medicos: & pro remedio carnali promittuntur munera, aurum & argentum: interdum & mancipia traduntur: & penè totum patrimonium, aut negligitur, aut donatur, ut consulatur vitæ quandoque peritura. Et pro æterna salute omnis admodum homo negligens est, omnis avarus.

Illic omnis frugalitas largitoris animi tenacitate constringitur: ubi promptior voluntas, & copiosior largitas deberet operari. Et cum scriptura dicat: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: sic humana concupiscimus, sic amamus, quasi aliquid nascentes intulerimus in seculum, aut recedentes de seculo nobiscum auferre possimus. Nemo ad brevitatem temporis, nemo ad naturæ respicit conditionem: nemo considerat, nemo retractat vana esse omnia quæ aliquo sine clauduntur. Labuntur enim tempora: & præterita relinquunt, ad futura festinant. Sed & Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vane sunt. Cumque omnia cogitaverint per triginta annos, una febricitantia venit, & tollit omnes cogitationes eorum. Nam sicut manè virens herba & florens delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens, pulchritudinem perdit, & in fernum quod conterendum est tranfit: ita species hominum vernat in parvulus, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris: & repente dum senescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extensa contrahitur.

Hoc etiam languor facit & inedia, ut vultus primo pulcherrimus, ad tantam transeat feccitatem: tamen qui quotidie recordatur se esse morturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. Sed quanto in hoc sæculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentia, vel morborum cruciatibus fuerimus afflicti: tanto post resurrectionem in futuro majora præmia consequemur. Igitur in die iudicii securus invenietur, si nulla Dei offensâ reperitur. De his ergo tantum sollicitudinem habere debemus. Ambiant terrena gentiles, quibus cælestia non debentur. Concupiscant præsentia, qui futura non credunt.

*De virtute humilitatis & simplicitatis, ac tumentis animo vitando.*

**C**AVE ne rumulos hominum aucuperis, ne offensam Dei populorum laude commutes. Per bonam & malam famam, à dextris & à sinistris Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate, & læta contemnit & tristitia. Nam iusti & fortis viri est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari: sed in utroque esse moderatum. Nolo te orare in angulis platearum, ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbrias, & ostentui habere phylacteria: & conscientia repugnante, pharisaica ambitione circumdari.

Fidelis mecum lector intelligis quid taceam, & quid tacendo magis loquar. Quanto melius erat hæc in corde portare, quam in corpore: & Deum habere fauctorem, non aspectus hominum? Quamvis enim aliis vitiis carere possimus, hypocrisios tamen maculam non habere, aut nullorum, aut paucorum est. Sed sicut deprecantis humilitas meretur præmia: ita superbia confidentis, Dei auxilio deseritur. Tu autem frater inferius accumbes, ut minore veniente, sursum jubearis ascendere. Super quem enim, ait Dominus, requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem verba mea?

Sed vis scire quales ornatus Dominus quærat? Habeto prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem. His plagis cæli includere, hæc te quadriga, velut aurigam Christi, ad metam concita ferat. Nihil hoc monili preciosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius: ex omni parte decori & ornamento tibi sint & tutamini. Philosphorum sententia est, sibi herere virtutes: & Apostoli Jacobi: Cui vana defuerit, omnes deesse. Et sicut quatuor sunt virtutes, quibus pugnamus & tegimur: sit quatuor vitia sunt, quibus ab hoste percutimur: stultitia, iniquitas, luxuria, formido: sed malitia finem non habet. Cognatæ quoque sibi sunt virtutes, rectitudo & simplicitas: nec ab invicem separari queunt. Simplex & humilis & rusticus qui arcana sapientiæ comprehendere nequit, si tamen sapientum exempla vivendo sectetur, jure inter sapientes connumerabitur. Melius est enim parva bona cum charitate facere sine scientia, quam magnis effulgere virtutibus cum admixtione discordiæ. Excella namque periculosus stant: & citius corrunt quæ sublimia sunt.

Sed perspicuum est omnem creaturam quamvis ad perfectionem venerit: tamen indigere misericordia Dei: & plenam perfectionem ex gratia Dei, non ex merito possidere. Nihil sic placet Deo sicut simplicitas & innocentia. Unde Spiritus sanctus in volatilibus non apparuit, nisi in columba, propter simplicitatem: in quadrupedibus in ove, propter mansuetudinem. Illud quoque tibi vitandum est cautius, ne vana gloriæ ardore capiatis. Cum facis elemosynam, Deus solus videat. Cum jejunas, læta sit facies tua, ne ad te obvia prætereuntium turba consistat, & digito demonstreris. Nec satis religiosus velis videri, nec plus humilis quam necesse est: ne gloriam fugiendo, quæras. Plures enim paupertatis, misericordie ac jejunii arbitros declinantes, hoc ipso placere cupiunt, quod placere contemnant: & mirum in modum laus dum vitatur, appetitur. Cæteris perturbationibus quibus mens hominis gaudet & ægrefcit, sperat & metuit, plures invenio extraneos. Hoc vitio pauci admodum sunt qui caruerint.

Igitur non quæras gloriam: & cum inglorius fueris, non dolebis. Qui enim verba increpantis humiliter recipit, jam propinquam habet veniam reatus quem gessit. Gravius est enim perficere malum, quam facere. Non est



tamen tantæ virtutis ab aliis factam injuriam sustinere, quantæ gratiæ Domini est, mitem atque tranquillam injuriam facere non posse. Neque verò te moneo, ne de divitiis glorieris, ne de generis nobilitate jactes, ne te cæteris præferas. Scio humilitatem tuam: scio ex affectu te dicere: Domine non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei. Stultissimum quippe est docere, quod noverit ille quem doceas. Vox ex industria quasi confecta jejuniis tenuis non sit & deficiens. Sunt quippe nonnulli exterminantes facies suas: ut appareant hominibus jejunantes: qui statim cum aliquem viderint, ingemiscunt, demittunt supercilium: & aperta facie, vix liberant unum oculum ad videndum. Vestis pulla, cingulum faceum, & fordibus manibus pedibusque, venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo. His quotidie psalmus ille cantatur: Deus dissipavit ossa hominum sibi placentium. Tristitiam simulant, & quasi longa jejunia furtivis nocturnis cibis protrahunt. Pudet reliqua dicere: ne videar potius invehi quam monere: omnia hæc argumenta sunt diaboli.

Imitare igitur eum potius, cujus pallor ex jejuniis, elemosinæ in pauperes, obsequium in servos Dei, humilitas, & cordis & vestium, ac in cunctis sermo moderatus. Trade quoque te illi, cujus sermo & habitus & incelsus, doctrina virtutum est. Non cothurnatam affectus eloquentiam: nec more puerorum, argutas sententias in clausulis strues.

Hæc præteriens tetigi, ut eruditis contentus auribus, non magnopere cures quid imperitorum de ingenio tuo rumulculi jactent: sed Prophetarum quotidie medullas bibas. Quod patricii generis inter monachos esse cepisti, non tibi sit tumoris, sed humilitatis occasio: ut imiteris filium hominis, qui non venit ministrari, sed ministrare. Nam quanto humilior, tanto sublimior es: lucet margarita in fordibus. Quantumcumque enim te dejeceris, humilior Christo non eris. Ideo quamquam mihi multorum sum conscius delictorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar: Delicta juventutis meæ, ne memineras Domine. Unde sciens dictum ab Apostolo: Ne inflatus in superbia incidat in iudicium diaboli. Et in alio loco scriptum: Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.

Nihil ita à pueritia vitare conatus sum, quam tumorem animum & erectam cervicem, Dei contra se odia provocantem. Novi enim Magistrum Dominum & Deum meum in carnis humilitate dixisse: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: Et ante per os David cecinisse: Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. Et in alio loco legitur: Ante gloriam humiliatur cor viri: & ante ruinam elevatur. Nihil enim, ut crebro diximus, tam periculosum est, quam gloriæ cupiditas & jactantia & tumens animum conscientia virtutum. Idcirco plus est animum deposuisse quam cultum. Difficilius arrogantia, quam auro caremus & gemmis. Nil itaque prodest vile palliolium, fulva tunica, corporis illuvies, simulata paupertas: si nominis dignitatem operibus deltras: si inter fordes & inopiam peccata non caveas. Fidele namque testimonium est, si non habet causas mentiendi. Cui enim plus creditur, ab eo plus exigitur. Potentes potenter tormenta castitate supplaudat: cum etiam concivium in fratrem homicidii sit reatus. Cadit quidem mundus, & cervix erecta non flebitur. Pereunt divitiæ, & nequaquam cessat avaritia. Congregare quam multi festinant quæ rursus ab aliis occupantur.

*De humilitate Christi, quem imitari debemus.*

**C**HRIStUS baptizatur à servo, & à Deo Filius appellatur: inter publicanos, meretrices, & peccatores ad lavacrum venit: & sanctior est Baptista suo: qui de cælo venit in utero: de utero in præsepe: de præsepe in crucem: de cruce in sepulchrum: de sepulchro ad inferos de inferis victor remeavit ad cælos. Imitemur ergo salvatorem nostrum: quia ipse mitis & humilis pastor, agnus & aries appellatur. Qui pro nobis immolatus est. Qui ab Isaac cornibus tenetur in lentibus. Ex quo nil hac humilitate sublimius. Qui Bethleem in hoc parvo terræ foramine colorum conditor natus est: hic involutus pannis: hic visus à pastoribus: hic monstratus à stella, hic adoratus à Magis. In baptismo humilitas Christi, nostra sublimitas. Illius crux, nostra victoria: illius pati-

bulum, noster triumphus est.

Cum igitur lavacrum & crucis signum in frontibus demon aspexerit, contremiscit. Qui aurea capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt sceptræ regalia, & purpuras Cæsarum, & dapes Christianorum: fordes tamen & jejunia pertinefunt: Jube enim Christus, ne quis discipulorum dicat, quia ipse est Christus. Mira ratio, non vult prædicari, qui gaudet intelligi: agnoscit amat, & odit offendi: magis vult se inventum esse, quam proditum: ut virtus sua illum, non favor ostenderet alienus. Quæ autem major potest esse clementia, quam ut Filius Dei, filius hominis nasceretur, decem mensium fastidia sustineret, partus expectaret adventum, involveretur pannis, subiceretur parentibus, per singulas adoleret ætates, & post contumelias vocum, alapas, & flagella, crucis quoque nobis fieret maledictum, ut nos à maledicto legis absolveret. Patri factus est obediens usque ad mortem: ut id opere impleteret, quod ante ex persona mediatoris fuerat deprecatus, dicens: Pater, volo quomodo ut ego & tu unum sumus: ita isti in nobis unum sint.

Ergo quia ad hoc venerat, ut quod impossibile erat legi, quia nemo justificabatur, ineffabili misericordia vinceret: Publicanos & peccatores ad penitentiam provocabat. Unde novum & mirabile est apud nos, Dominus solus petentes se amat, solus irascitur nisi petatur. Illo enim tempore quo supplicia merebantur, Deus argumentum salvacionis ostenditur: intelligere possumus, quantum valeret præstare non læsus, qui tantum donaret iratus. Amemus & nos Christum, ejusque semper queramus amplexus: & facile videbitur omne difficile: brevia putabimus universa quæ longa sunt. Quodque beata Dei genitrix à filio suo non didicit, cælos fabricare, angelos creare, mira deitatis insignia operari: sed tantum humiliari: cæteraque virtutum documenta intra humilitatis custodiam aggregare.

*De justitia, & vite rellitudine.*

**E**T jam de justitia differamus, quæ est singularum rerum & personarum æquissima distributio: quam quis obtinens, & cui quis adhaerens, vitam suam dispositè & sine turbatione conservat: custodit in omnibus æquitatem: scit quid Deo debeat, quid sanctis, & quid æqualibus reddat, quid non denegat potestatis hujus sæculi: quid sibi retineat, quid proximo competat, quid alienis concedat aut congruat. Justum est enim Deum colere & diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute: sanctos & coæquales honorare, & tributa impendere potestatis: superbum non esse, sed magis mitem & humilem: proximos tanquam se diligere: alienos & inimicos non prosequi odio, sed amore: subiectum esse prioribus vel ætate majoribus: quia & Dominus dum esset omnium Dominus, à Joanne qui major est in natis mulierum, quia prior illo in nativitate hominum erat, baptizatur: Et sic adimpleri omnem justitiam protestatur. Ex hac misericordia nascitur, obsequium deificum generatur.

In his omnibus qui invenitur, non immeritò in Christo dicitur permanere: quoniam hæc omnia ipse Christus est. Paulus nos gloriosus informat & instruit de Christo, dicens: Qui est factus nobis à Deo justitia, & sanctificatio & redemptio. Item in alio loco: Qui est misericordia & pax & dilectio, quam Græci ἀγάπη vocant. Iniquus enim si sequitur justitiam, negat iniquitatem. Stultus si sequatur Dei sapientiam, negat stultitiam: quodque sapientia, fortitudo, temperantia, & castitas solum prodest habentibus: justitia verò aliis & miseris prodest: quæ patrem vel fratrem non novit, sed novit veritatem: personam non accipit, & Deum imitatur. Discite ergo bene facere. Virtus enim dicenda est. Nec naturæ tantum bonum sufficit ad justitiam, nisi quis erudiatur congruis disciplinis. Discenda est ergo justitia: & magistrorum terenda sunt limina. Sæcularis autem judex acceptis muneribus condemnat insonitem, & reum liberat. Quod interdum de Ecclesiæ principibus dici potest, quod propter munera lacerent legem: & non perducunt iudicium ad finem.

*De fide, spe, & timore.*

**S**I autem fides, ut inquit Apostolus Paulus, est substantia sperandarum rerum, quas speramus, & index rerum

quas non videmus: credere & fidere quis debet, quod Deus ea quæ promittit, potens est adimplere: & spem suam in futurum transferre: & tunc plena fide poterit ad ea quæ promissa sunt, facile pervenire. Hæc nobis universa invisibilia ante oculos ponit. Ad hanc ingressi, diaboli & potestatum hujus mundi & harum tenebrarum universa deserimus: Deo cum fiducia proximamus. Credere enim & sperare necesse est quæ Deus iussit: cum quæ diabolus inseruerat, abnegamus. Fidem spes sequitur: itaque de ipsa loquamur. Est igitur spes expectatio rerum omnium futurarum, quam in fide habemus, quæ salvamur, Paulo scribente Apostolo: Spes enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod autem videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.

Hæc in se habet timorem, non illum cuius oblivisci, & quem foras debet mittere quisquis in fide vivit: sed qui unus est de spiritibus, quibus impletur Jesus, sicut Isaias testatur: Exierit virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini: illum spiritum quem David canit, dicens: Timeo Dominum justi ejus. Unde & beati efficiuntur eodem protestante & dicente: Beatus vir qui timet Dominum: illum dicit timorem, qui castus est & pudicus. Quoniam timor Domini castus, inquit David, manet in sæculum sæculi.

Ergo est duplex timor: unus appetendus, alius fugiendus est. Igitur appetendus timor, admonitio & custodia omnium rerum, quas credimus aut speramus. Timemus enim iudicium, quia speramus: & metuumus Dominum, quia fortem illum iudicem credimus. Vera namque vita est Deum nosse, timere ejus potentiam, amare pietatem. Timor namque virtutum est cultus securitas ad lapsum facilis. Si pavorem habueris, sollicitus eris: & si sollicitus fueris, leo in caulis ovium tuarum intrare non poterit. Quod ad præpositos Ecclesiarum vel ad animæ custodem pertinet. Qui cautus est & timidus, potest ad tempus vitare peccata: qui securus est de justitia, repugnat: illiusque auxilio destitutus, insidias hostium patet. Nunquam tuta est humana fragilitas: & quanto magis virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus. Si juxta Ecclesiasten, Radix sapientiæ est timere Deum: fructus ejus est, nisi videre Deum: Bonum autem diligit, qui non invitus, aut necessitate, aut legum metu facit bonum: sed idcirco, ut mercedem bonam operis habeat.

*De charitate, & pace.*

**A**D charitatem nunc transitum faciamus: quia omnibus major est. Inter cætera sic fateatur Paulus: Manent autem tria hæc, Fides, spes, & dilectio: sed major his dilectio est. Est ergo dilectio vinculum animorum, casta, & sincera, & sine æmulatione charitas: consummatio omnium mandatorum, brevis omnium præceptorum: quam cum quis habuerit, omnia habet: sine hac in aliis remanet imperfectus. Et ut cognoscat vestra prudentia, quantum charitas valeat: legitimus responsum Domini in Evangelio dicentis, cum interrogaretur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: Et diliges proximum tuum tanquam teipsum: in his duobus præceptis pendet lex & Prophetæ.

Vides in hac sola universa legis contenta pendere? Verè quisquis hanc habet, jam Deus & Dei Filius dici potest: ex hac sola poterit Deo similis esse. Considera, qui Deum diligit: nunquid sperat, nunquid timet, nunquid fidet? Non, sed tantum diligit. Deus, inquit Paulus, cum dilexisset mundum, misit unicum filium suum in similitudinem carnis peccati: ut de peccato condemnaret peccatum in carne: qui præponit eam rebus omnibus, dicens: Et si linguis loquar hominum & angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum sicut æramentum tinniens, aut cymbalum concrepans. Et si habuero Prophetiam, & cognovero omnia mysteria, & omnem scientiam: & si habuero fidem, ita ut montes transferam: & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum.

Charitas magnanima est: charitas benigna est, charitas non æmulatur: non inflatur, non agit perperam, non irritatur, non confundit, non querit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super injuria, gaudet autem de

veritate. Omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat: charitas nunquam excidit. Nihil enim amantibus durum est, nullus difficilis est cupientibus labor. Solus tamen ille amor probabilis est, qui Deo & virtutibus animæ coaptatur. Nihil est enim quod non toleret, qui perfectè diligit. Qui autem clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ & lachrymarum: quamvis spiritualis sit, non adimplevit legem Christi. Unde legitur, quod beatus Joannes Evangelista cum Ephesi senex vix inter discipulorum manus deferretur, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas nisi, filioli mei diligite alterutrum. Discipulis autem petentibus, quare semper id diceret: Respondit, quia præceptum Domini est, & si fiat, solum sufficit. Sed obsecro ne amicus, qui diu queritur, vix invenitur, difficile servatur, pariter cum oculis amittatur. Nam amicitia quæ desinere potest, nunquam vera fuit: Vera namque amicitia nullo livore, in quanto augetur numero, tanto crescit & roborat.

Declina igitur à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus. Quin potius faciendum est bonum, ut declinemus à malo. Pax querenda est, fugiamus bella: nec sufficit eam querere, nisi inventam fugientemque omni studio persequamur: quæ exuperat omnem sensum, in qua habitatio Dei est, Propheta dicente: Et factus est in pace locus ejus. Infernus itaque inter fratres dividit. Quicquid igitur separat inter fratres, infernus dicendus est. Concordia enim parvæ res crescunt: sic & discordia maxime dilabuntur. Pulchre igitur persecutio pacis dicitur: juxta illud Apostoli: Hospitalitatem persequentes: ut non leni usitatoque sermone, & ut ita loquar, summis labiis hospites invitemus: sed toto mentis ardore teneamus: quasi auferentes secum de lucro nostro atque compendio.

*De infirmis & pauperibus recreandis.*

**S**I quis cœperit ægrotare, transferatur ad exedram latiorrem: & tanto lenum ministerio confoveatur, ut nec delicias urbium, nec matris querat affectum. Nec liceat dicere cuiquam: tunicam & sagum textaque juncis strata non habeo: ita æconomus universa moderetur, ut nemo quid postulet, habeat. Servias fratribus, hospitem lava pedes, pauperibus & fratribus refrigeria exhibe: sumptum manu propria distribue. Quoniam quicquid habent clerici, pauperum est, & domus eorum, omnibus debent esse communes. Susceptioni enim peregrinorum & hospitium invigilare debent.

Docet Salomon misericordiæ operibus insistendum: nec nostris fidendum virtutibus, sed à Deo esse auxilium flagitandum. Sed esto quod æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, manus debilius sis, aquam portes, ligna concidas, focum extruas: Sed ubi vincula? ubi alape? ubi sputa? ubi flagella? ubi patibulum? ubi mors? Et cum hæc omnia, quæ dixi feceris, ab Eustochio Paulaque vincearis. Hæc dico, non quod de ardore mentis tuæ quicquam dubitem, sed quod currentem impellam: & acriter dimicanti fervorem augeam.

*De penitentia, & misericordia Dei.*

**A**RRIPE quæso occasionem, & fac de necessitate virtutem. Non queruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finivit. Judæ laudantur initia, sed finis prodicione damnatur. Et licet Deus non velit mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: tamen tepidos odit, & cito ei naufragium faciunt. Cuique plus dimititur, plus diligit. Unde meretrix illa Christi dilectrix in Evangelio baptizata, lachrymis, & crine, quo multos ante ceperrat, pedes Domini tergens, salvata est. Non quidem habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbis sibi fuliginatos. Nam quanto fedior, tanto pulchrior: quæ demum plorat ad crucem, unguenta parat, querit in tumultu, hortulatum interrogat, pergit ad Apostolos, repertum nunciat: illi dubitant, ista confidit.

Non enim tam peccati crimen arguitur, quam velox conversio in penitentia celeritate laudatur. Nec Deus cogere penitente, si non esset penitentibus veniam concessurus. Nihil enim tam repugnat Deo, quam cor impœnitens. Hoc solum crimen est, quod veniam consequi non potest: